



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

29. An Episcopi feudatarij Regum debeant prius obedire Regi, quam Papæ, seu Metropolitano? Et an Prælati feuda à Rege tenentes teneantur in bello opem ferre, & auxilium præstare secundum feudorum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

simoniace electus est?
Et an ira facientes incurrant in censuram Bullæ Cœnæ?
 Ex part. 4. tract. 1. Ref. 76.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Bodadilla *in polit.* tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 65. vbi sic ait. [Podra el Rey echar del Obispado el Obispo promovido por simonia, segun lo escrive y funda Chassaneo] *in cat. gloria mundi part. 5. considerat. 24. numero 142.*
 2. Sed hæc opinio est falsa, cum tam respectu causæ, quæ spiritualis est, quam respectu personæ, quæ Ecclesiastica est, illius cognitio spectet ad Summum Pontificem, & ideo Reges hanc Bobadillæ sententiam sequentes certum est in censuras Bullæ Cœnæ incurrere, & ita docet Megalius *in 3. p. lib. 3. c. 11. num. 18.*

RESOL. XXIX.

An Episcopi feudatarij Regum debeant prius obedire Regi quam Papa, seu Metropolitanò?
Et an Prælati feudatarij Rege tenentes teneantur in bello opem ferre, & auxilium præstare secundum feudorum conditionem?
Et an Rex possit præcipere Episcopis, & Abbatibus sui Regni, ut cum ipso eant ad bellum. Ex part. 3. tract. 1. Ref. 6.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Olibanus *de iure Fisci cap. 10. num. 6.* & Carolus Degraffalius *Regalium Francia lib. 2. iur. 13.* vbi ausi sunt dicere, quod Episcopus feuda tenens à Rege, prius debet obedire Regi, quam Papæ; sed isti Aurhores cautè legendi sunt, nam passim multa asserunt aduersus Ecclesiasticam immunitatem.

2. Idèd contrariam sententiam docet Martha *de iurisdic. part. 4. cent. 1. cas. 18. n. 22.* qui etiam num. 13. firmat idem dicendum esse, si Metropolitanus Episcopum vocaret; nam in tali casu Episcopus tenetur obedire magis suo Metropolitanò, quam Regi etiam directo domino feudi; quia maius vinculum est spirituale, quam temporale *c. solita, de maior. & obediens.* nec obstat iuramentum fidelitatis directo domino factum, quia semper intelligitur excepta autoritas sui Superioris.

3. Notandum est etiam dictum Degraffalium *vbi supra in iure 14.* & Olibanum *de iure Fisci cap. 8. n. 2.* adnotare quod Prælati feudatarij à Rege tenentes, tenentur in bello opem ferre, & auxilium præstare secundum feudorum conditionem.

4. Sed tu circa hanc quæstionem vide Marthant *vbi supra num. 26.* & cas. 12. num. 18. vide etiam Intrigliolum *de feudis quæst. 30. num. 24.* & Petrum de Gregorio *tract. de concess. feudi part. 8. quæst. 2. vers. tertio limbo.* Vnde ex his apparet falsam esse sententiam Mancelot. *in suo templo iudicum lib. 1. cap. 2. de Rege, §. 3. num. 9.* in fine, asserentis, posse Regem præcipere Episcopis, & Abbatibus sui Regni, ut cum ipso eant ad bellum; quod antea docuerat etiam Petrus Antibolus *de numeribus part. 3. n. 97. tom. 12. tractatum fol. 28. col. 2.*

RESOL. XXX.

An collatio Episcopatum, & aliorum beneficiorum possit à Principe laico præscriptione acquiri?
Et notatur, quod ut consuetudo excuset, & valeat, debet esse legitima, & præscripta. Ex part. 3. tract. 1. Ref. 65.

§. 1. **N**egatiuè Respondeo cum Cardinali Tuschio *om. 4. cent. 1. 452. num. 28.* vbi sic ait, licet ex priuilegio possit per Papam concedi collatio beneficiorum laico; non tamen potest consuetudine, neque præscriptione acquiri etiam per tempus immemorabile; quia laici sunt incapaces. Ita ille, cuius opinionem Probus *in addit. ad Ioannem Monachum cap. 2. de præbend. num. 7.* & 8. in 6. asserit esse communem, vide etiam Zabarellam *conf. 57. sub num. 2.* & Doctores quos citat, & sequitur Silua *de beneficiis part. 2. quæst. 23. num. 16.*

2. Pro cuius sententiæ explicatione notandum est, quod ut consuetudo excuset, & valeat, debet esse legitime præscripta, consuetudo autem præscribi non potest, quoties subiectum est incapax illius rei, quæ per consuetudinem induci prætenditur, ut notat Panormitanus, & Felinus *in cap. causam, de præscript. & in cap. 4. de consuetud.* Decianus *in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 14.* & alij communiter, cum ergo laici incapaces sint iurisdictionis spiritualis, & Ecclesiasticæ, ex *cap. causam, de præscript. & c. solita, de maior. & obediens.* sequitur ipsos non posse hanc iurisdictionem per consuetudinem acquirere, ex quibus clarè apparet non posse prætextu consuetudinis iudices laicos se tueri, & excusari, & idèd optimè Cardinalis Tuschus *vbi supra tom. 4. conclus. 452. num. 14.* asseruit, omnes casus, qui provt attestantur Doctores ex consuetudine alicuius Regni, vel prouincie, sunt contra ius commune, & sic licet eis non potest fieri fundamentum, nisi quia sic de facto seruatur: vnde talis consuetudo etiam immemorabilis, vel præscriptio immemorabilis non valet. Ita ille, & ego.

3. Ut igitur Reges Episcopatus, & beneficia conferant, ad hoc requiritur priuilegium, nec suffragatur vlla consuetudo, aut præscriptio, etiam si esset immemorabilis cum perpetua tolerantia Papæ; cum enim versemur in his, quæ non sunt quæstibilia sine Principis concessione, tolerantia de nihilo inferuit; hæc enim non est tolerantia, sed simplex conuientia, seu patientia, quæ nusquam inducit dispensationem in his quæ sunt contra iuris dispositionem, ut est text. *in cap. cum iam dudum, de præbendis, & ibi glossa.* ea siquidem conuientia incidit ad euitanda dumtaxat scandala quæ possent committi in auferendo huiusmodi abusum, ut tradunt Doctores *in cap. 2. de præbend.* Quippe crimen publicum dissimulare dupliciter contingit, vno modo ipsum actum criminis non prohibendo, cum prohiberi possit, ut hæc Ecclesia Romana non sustinet, nec dissimulat, imò prohibet in canonibus supra citatis; altero transgressorem talis prohibitionis non puniendo, & hoc modo Ecclesia dissimulat aliqua propter difficultatem correctionis, ut bene aduertit Turrecrenata *in can. singula, num. 8. dist. 89.* multa enim tolerantur, quæ si in iudicium deducerentur, exigente iustitia non tolerarentur, ut dicit textus supra allegatus *in cap. iam dudum de præbend.* & hæc omnia docet Lotharius *tom. 1. de re beneficiaria, lib. 1. quæst. 6. num. 39. & 41.* Hinc si Rex noster, vel alij Reges hodie conferunt Episcopatus, & alia beneficia, hoc ex priuilegio Romani Pontificis procedere dicendum videtur, vnde extante tali priuilegio non dicuntur, dicto modo loquendo, Reges conferre dicta beneficia, sed Papa mediante ministerio Regum, atque ita collatio non reputatur regia, aut alterius Principis, sed merè Apostolica, & ideo omnia supra dicta firmavit Rota in vna Aquinensis Monasterij die 26. Ianuarij 1601. coram Illustrissimo Seraphino, & tenet Riccius *in praxi tom. 4. ref. 137.* qui per extensum ponit dictam sacra Rotæ Romanæ decisionem, quam omnino vide.

RESOL

Sup. his fin.
 præ in Ref.
 2. §. vlt. sed
 lege eam
 per totam

Sup hoc fin.
 præ in Ref.
 2. prope finem, & in
 Ref. 10. &
 11. §. verum
 & infra in
 Ref. 37. Ad
 tertium cur-
 sim, sed cum
 alio Autho-
 re. & in Ref.
 sol. 41 & 139
 in fine.

Sup. hoc fin.
 præ in Ref. 7.
 §. 1. cur sim
 ante mediu